





1782, 5

de Winkler

ORDINARIVS
 SENIOR CETERIQVE ASSESSORES
 FACVLTATIS IVRIDICAE
 LIPSIENSIS

LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN
 VIRI GENEROSISSIMI
 GVELPHI CHRISTIANI ALBERTI
 DE LOEBEN
 PVBLICE TESTANTVR.

IN EST
Corollarium iuris criminalis decimum.



de la 1788/10

ORDINARIVS

SENIORE OTTONICO ADIUTORIBUS

FRANCISCO ADIUTORIBUS

LIBRARIIS

CAUSARUM SENIORE ADIUTORIBUS

ADIUTORIBUS

FRANCISCO ADIUTORIBUS

AD ILLUM

FRANCISCO ADIUTORIBUS

FRANCISCO ADIUTORIBUS

FRANCISCO

FRANCISCO ADIUTORIBUS



COROLLARIUM DECIMUM.

*De remissione delinquentium ad forum criminis
in Lusatia superiori.*

In corollario secundo, anno 1772. dato, ostendebamus, remissionem reorum hodie in genere non necessitatis, sed meri arbitrii esse; attamen nihilominus esse quasdam exceptiones, quarum aliqua exempla, vnum iuris Saxonici electoralis, alterum iuris communis in eodem et quarto corollario proposuimus. Iam de alia remissionis necessitate agamus, ad Lusatiam superiorem pertinente. Qui iuris interpretes hanc remissionem attigerunt, eius rei causa communi voce, quid? ipsae adeo Lusatiae leges allegare solent conclusum, in conuentu ordinum die Oculi anni 1653. suffragio omnium factum, in hoc vero prouocatur ad priuilegium Ferdinandi I. de anno 1562. cui titulus: Concessio iurisdictionis superioris, extans in Codice Augusteo *Tb. III. p. 103.* et vocatur etiam *die Gerichtsignad*, GAERTNER *de exhib. reor. §. 12.* At vero, quemadmodum ea res huic Ferdinando priuilegio non nisi paulo obscurius, ac verbis, quae magis supremo Lusatiae iudici, *dem Landvoigte*, arbitrium et cognitionem relinquere videntur, inest, ita et in isto concluso nihil aliud dicitur, quam remissionem in delictis leuioribus arbitriariam esse, vnde demum colligere debemus, in grauioribus necessariam
A 2 putatam.

putatam. Quae igitur res anno 1653. perfici non poterat, ea denuo anno 1662. in conuentu statuum, die Oculi habito, agitata est, et dissidium ortum inter nobiles ac vrbes, his remissionem inter res voluntarias, illis inter necessarias referentibus, quod compositum tandem per deputatorum datum de ea re consilium, *Cod. Aug. l. c. p. 226 sq. Ober-Lautitz. Collect. Werck T. I. p. 196.* qui est totius huius rei fundus. Ab hoc igitur tempore de necessitate remittendorum in Lusatia superiori reorum ad forum delicti amplius dubitatum non est, quod et patet ex rescripto Electoris Saxoniae Iohannis Georgii sub dato d. 4. May 1680. in quo remissio facinorosorum ad locum delicti in Lusatia superiori, obseruantia et communi in statuum conuentibus suffragio confirmata esse dicitur, *Cod. Aug. l. c. p. 291. O. L. Coll. W. l. c. p. 197.* Profecto confirmata est haec remittendi necessitas sequenti tempore, imprimis tum, cum in conuentu Oculi 1725. habito, ordines prouinciae illius conuentionem circa expensas criminales easque a fumantium aliquot possessoribus communi onere ferendas, inirent, quae et a Principe d. 11. Dec. 1752. approbata, eiusque iussu in Lusatia d. 12. Febr. 1753. in vim legis publicata est. In huius igitur paragrapho prima et secunda denuo, delinquentem ad forum criminis remittendum et a iudice delicti accipiendum esse, decretum est, verbis: *und bleibet es bey dem durch lange obseruanz bewährten, und in anno 1653. schon beliebten landtagschlusse, daß der delinquent*

quent ad forum delicti verabsolget werden soll; ita vt vlla dubitatio superesse non possit. Haec remissio primum, vt ex concluso de anno 1653. vidimus, nonnisi in delictis grauioribus locum habebat, sed post ex allegato deputatorum consilio ad omnia delicta promota est, ita vt hodie et in grauioribus, quae capite aut corpore aut relegatione coërcentur, et in leuioribus, quorum poena vel carcer vel mulcta est, delinquentes remittendi sint, ad quod denegantes primum in iunctione haud poenali, mox mulcta quinquaginta vel centum thalerorum cogi solent, GAERTNER *de exhib. reor.* §. 12. *in fine.* Neque etiam liberum est iudici delicti, velint reum ab alio prehensum recipere, an minus, sed cogendus est ad hoc, emissis in primis litteris requisitorialibus, siue clausis ad vnum iudicem datis, siue patentibus ad plures, *steckbriefen, dict. Rescr. reg. de anno 1752. §. 2.* GAERTNER *l. c. p. 35.* Ita recens exemplum hoc anno nobis exhibitum est in Actis aduersus I. G. S. lusibus fortunae deditum, qui subditus iudicii Reibersdorffensis, cum eiusmodi lusum in caupona Seidebergenfi exercuerat, a iudice domicilii missus est ad iudicem delicti, sic illum requirentem: *Ew. - - belieben aus denen beygefügeten abschriften zu ersehen, wie - - angezeigt, daß dero unterthan der mauheurssaenger Schubert am 27. nov. a. c. als er eine art von hazardspiel, scherwenzel genant, und noch dazu mit einer neuen ungestempelten charte gespielet, betroffen und ihm sothane charte weggenommen worden: da ich nun diese sache den 18. januar*

mar a. c. weiter untersuchen zu lassen gemeinet bin; so ersuche ich ew. - - in subsidium juris, den maulheurffaenger Schubert gegen ertheilung eines gewöhnlichen reverses, gedachten tages vormittags um 9. uhr, vor mein amt als das forum delicti zur vernehm- und bestrafung sistiren zu lassen. Ich werde jederzeit beflissen seyn, diese rechtliche willfahung zu erwiedern.

Vt vero ista remissio a iudice delicti iure postulari, nec denegari a requisito possit, varia requiruntur. *Primo* a requirente dantur litterae reuerfales, quarum formula saepe dicto consilio deputatorum de anno 1662. adiecta est, quae, quemadmodum iisdem Actis cerni poterat, et hodie adhuc seruat; correcto tamen errore, in ista formula, vi ea utroque dicto loco, nec non in Corpore Iuris Lusatico p. 277. exhibetur, commissio, quo annus 1693. scriptus est loco anni 1653, qui inde forte natus est, quod istud conclusum, nec minus postea anno 1693. repetitum est. *Secundo* iudex delicti, ad quem reus remittitur in puniendo eo non pro lubitu, sed secundum iura legesque versari debet, consultis quoad grauiora crimina dicasteriis, seruataque in leuioribus acquitate. *Tertio* rei non diuturno carceri mancipandi sunt, sed inquisitio acceleranda; si vero intra paruum temporis spatium perfici nequeat, interea vinculis facta cautione liberandus est, mittendusque domino, vt interea ipsi seruitia debita praestare possit, *vid. dict. Consil. Deput. de anno 1662. C. A. et O. L. Coll. W. ll. cc.* quod tamen non dubito, quin

quin de leuioribus tantum criminibus fit intelligendum, ne reo per fugam poenae se subtrahendi occasio praebeatur.

Quarto, iudex requirens deprehendenti sportulas soluere neatur, id quod non solum in omnibus remissionibus delinquentium iuris est, *vid. coroll. nostr. I. et II.* sed etiam idem tum in dicto consilio deputatorum, prohibitis tamen supra modum personarum iudicialium comotationibus, tum in illa conuentione de anno 1725. §. 1. diserte constitutum, vbi simul notari potest, ex eodem pacto iudicem delicti partem expensarum, in ipsam inquisitionem consumendarum, secuta in fine sententia criminali, *wenn peinlich erkandt*, ab iis iudiciis, quae ipsi ad hanc rem secundum ordinem fumantium addicta sunt, *so nach denen rauchfängen zusammen geschlagen*, pro rata repetere posse, *ibid. §. 5. 6. 7.* Cum vero ex eadem illa conuentione, per rescriptum principis confirmata, certa sportularum taxa inter Lusatiae iudices recepta sit, cum in vniuersum, tum etiam ratione incarcerandorum et remittendorum delinquentium, hinc fit, vt si iudices extra Lusatiam vel vrbs aliqua earum, quae *Sechsstädte* vocantur, reum ad forum delicti repetant, litteris reuersalibus inferere debeant, se in casu reciproco, iisdem sportulis contentos futuros esse, alias Lusatiae iudices retorsionis iure vtentur.

Quinto, vt iudex delicti delinquentis remissionem petere possit, opus est, vt hic vel crimen confiteatur, vel notorium sit,
eum

VIII

eum id commississe, ita ut conuinci de ea re possit. At vero, si iudicia ad conuincendum haud idonea, sed non nisi aliquae praesumptiones aduersus eum militent, adeoque res adhuc in incerto sit, an fecerit nec ne, puniendusque sit an minus, tunc remissio non necessaria, sed arbitraria est, ac iudex domicilii vel prehensionis reum tamdiu retinet, factumque crimen inuestigat, donec conuincatur, quo demum facto, eum ad forum facinoris ad luendam ibi poenam mittit, *dict. consil. deput.* Quod de confessione vel conuictione nunc dictum, absque dubio etiam locum habet, si ea confessio in progressu inquisitionis, a iudice deprehensionis instituendae sequatur, cum confessus pro conuicto habeatur, *cap. 2. X. de confess. l. 1. D. eod.* atque confessionis idem effectus esse debeat, quoquo tempore fiat. Ex quo sequitur, reum negantem, si adhuc torturae locus esset, a iudice prehensionis torquendum fore, ac similiter iuramentum purgatorium ab eodem ipsi imponendum esse, at confitente reo, istum ulterius progredi non posse, sed rem ad iudicem delicti deferendam, cui adeo non solum ipsius poenae executio, sed etiam petitio sententiae a dicasterio, qua reus condemnatur, committenda est.

Sed quid, si delinquens in vno loco plura crimina commiserit, quorum alibi prehensus, alterum confiteatur, alterum neget. Nihilominus mihi remittendus videtur, siue maius sit affirmatum siue minus, cum per illam confessionem iudici delicti

licti

licti ius natum sit, causam criminis affirmati prosequendi, negata vero tanquam accessoria, ne inquisitio duplicetur, sequantur. At contra est, si solummodo ob vnum recens perpetratum, et cognitum iudici crimen deprehensus inquisitioni et carceri subiiciatur, verum durante illa plura, antea aliis in locis commissa, delicta vel sponte confiteatur, vel eorum noticia aliunde ad iudicem inquirentem perferatur. Tunc enim ex dicto Ordinum provincialium pacto, anno 1752. lege confirmato, §. 3. retinetur quidem reus a iudice coeptae inquisitionis, siue simul delicti ac prehensionis, siue solius huius (in casu non necessariae remissionis) sit, qui etiam de priore alibi commisso facinore cognoscit. Quae cognitio ne ipsi iusto grauior fiat, tenetur iudex prioris delicti non solum suis ipsius sumtibus probationes et indicia, quae ad reum conuincendum ac puniendum facere possunt, suppeditare, sed etiam conuicto sic reo vel ad confessionem commoto punitoque partem, vel tertiam vel quartam, sumtuuum, a iudice inquisitionis impensarum, ferre. Ita ordo noster sententiam dixit mense Iunio anni 1772. interrogatus a syndico capituli Budissinensis. *Im übrigen mag denen gerichten zu O. zu denen bey gegenwärtiger untersuchung auflaufenden unkosten, den dritten theil beyzutragen, in ansehung des unterm 11. dec. 1752. allergnädigst ergangenen generalis und dessen verordnung §. 3. auch übrigen vorkommenden umständen nach, wohl angefohnen werden.* Dictabamus autem hic pro re nata tertiam partem impensarum ob eximiam negligentiam, a priore iudice delicti in peruestigando persequendoque reo commissum.

B

Tri-

Triplex circa hanc rem quaestio reliqua est, *primo*, an complices etiam sint remittendi, *deinde*, quid faciendum, si reus deprehensus, neque confessus quidem neque conuictus, adeoque in hoc iudicio, vt supra vidimus, permanens, tamen durante inquisitione ita iudiciis prematur, vt ad iuramentum purgatorium ob periurii metum non admittendus, sed arbitraria poena coercendus videatur, *denique* an tota haec consuetudo etiam ad vrbes in Lusatia, quae *Sechsstädte* vocantur, pertineat, adeoque in omni Lusatia superiore vniuersalis sit? Et si autem prima quaestio plerumque inanis videtur, quando nempe complices crimen simul et vno tempore, adeoque in eodem delicti loco committunt, tamen tunc posset locum habere, quando alibi degentes vel antea consilium dederunt, vel post aut celando, aut alia ratione opitulati sint. Cum vero, consilium crimini dare, eique opitulando prodesse, aliud et nouum sit delictum, nobis, tunc complices remittere, non necessitatis, sed arbitrii esse videtur. GAERTNERVS quidem *l. c. sub finem §. 12.* in omnia alia abit, allegato re-feripto electorali supra commemorato de anno 1680. sed haud dubie male intellecto. Ibi enim non agitur de remittendis ad forum delicti complicitibus, sed dynasta Koenigsbrucensis iubetur ipsum reum remittere ex communi Lusatae consuetudine, tanquam causa principali, addita simul alia accessoria, quoniam scilicet spes sit, ibidem mox duos complices captum iri.

Quod

Quod vero ad alteram quaestionem attinet, supra vidimus, iudicem deprehensionis haud aliter ad remittendum cogi, nisi reus vel conuictus sit, vel alias de perpetrato ab eo delicto constet, non si solummodo indicibus quibusdam grauatius sit. Cum igitur, an haec satis apta sint et ad poenam arbitriam vel ergastuli vel aliam dictandam sufficiant, ante sententiam a dicasterio latam iudex nesciat, videtur nec prius casus remissionis adesse. At, post acceptam hanc sententiam, non dubitamus, reum, postulante iudice delicti, ad eum remittendum esse, cum ad executionem poenae, tum ad audiendam, si ita videatur, antea rei defensionem.

Tandem, quod ad generalitatem moris remittendorum ad forum delicti facinorosorum in vniuersa Lusatia superiore pertinet, sciendum est, hexapoles primo tempore illi conuentioni, de qua diximus, plane non adscripsisse, potius in conuentu ordinum anno 1662. habito, diserte contradixisse, ac sententiam suam, remissionem non esse necessariam, sed arbitriam, publice professas esse, vnde conuentio a reliquis ordinibus facta, eas vincere non potuit. Eandem opinionem tenaciter seruarunt in comitiis anno 1693. habitis, iterum, delinquentes remittere meri arbitrii esse, contententes, GAERTNER *l. c.* §. 12. At sequenti tempore et ante annum 1724. dictae vrbes, referente nominato GAERTNERO *l. c.* in tantum concessere, vt illi conuentioni, quoad pagos, ipsarum dominio

et iurisdictioni subiectos, accederent, sine dubio, quoniam hi Landassiatu continerentur, quoad vero ipsas extra conuentionem manerent. Inde forte est, quod in saepe allegata recentiori conuentione de anno 1725, anno 1752. publicata, §. 4. qua de modo circa iudicia alienae prouinciae habendo dicitur, his hexapoles ipsae acqui-parantur.

At relinquamus remissos delinquentes, quique sint, vituperio dignos, potius ad laudabilem virum accedamus, digna gloria extollendum, virum generosissimum et praeclarissimum **GVELFVM CHRISTIANVM ALBERTVM DE LOEBEN.** De huius vita, ac imprimis de iis, quae bonarum litterarum et studiorum causa egit, eum ipsum, cum humanitatis et grati animi sensu differentem, audiamus.

Natus sum Mengelsdorfi in Lusatia superiori A. R. S. MDCCLX, patre GVELFO CHRISTIANO ALBERTO de LOEBEN, Seren. Electoris Sax. sacro cubiculo praefecto clauigero, quem ut summum numen quam diutissime incolumem, sospitem omnique felicitatis humanae genere florentissimum conseruet, eique longam annorum seriem largiatur, ea qua par est pietate precor. Matrem veneror CAROLINAM AVGVSTAM ex illustri gente de PONICKAV oriundam, quam nimis praematura morte anno h. f. LXXVII mihi ereptam grauissime doleo, eiusque memoriam desiderio non intermorituro nunquam

quam non prosequar. A primis inde incunabulis optimi parentes nihil prius nihil antiquius habuerunt, quam ut non solum elementis religionis christianae imbuerer, sed et, quam primum vires annique finerent, omnibus iis disciplinis erudirer, quibus animus excolitur et ornatur. Quapropter praeceptores non tantum solertia, prudentia et eruditione, sed et vitae morumque integritate conspicuos institutioni meae praefecerunt. Quorum omnium studio in me instruendo cum multum me debere grato animo recordor, tum in primis WAGNERI, iam apud Lugavienfes Pastoris meritissimi erga me merita memoria excidere nunquam patiar. Dein anno LXXVI ex scholis domesticis ad publicas Gorticenses transgressus, usus sum institutione venerabilis BAVMEISTERI, Rectoris actate et meritis conspicui, nec non ceterorum huius Gymnasii praeceptorum, inter quos non possum non nominare NEVMANNVM, Conreſſorem, cuius disciplinae domesticae concreditus eram, et SCHVLZIVM, quorum in me pietatis amorisque pignora nunquam venerari desinam. Sic ad studia academica praeeparatus biennio ibi exacto, anno LXXVIII Lipsiam petii. Numero civium academicorum me adscripsit ERNESTI, tum temporis Rector Magnificus; hospitio vero me excepit excell. CAESAR, cuius sanctissimam habeo amicitiam, quae suavissima consuetudine adeo stabilita est, ut eam in perpetuum valituram augurer. Eiusdem viri scholas frequentavi publicas et privatas in praeceptis philosophiae, iuris naturalis et publici uniuersalis. Interfui quoque eius exercitationibus disputatoriis et examinatoriis,

nec non praelectionibus in Sulzeri encyclopaediam. *Mathesin* me docuit *GEHLERVS*, *physicam* vero *LVDWIGIVS*, *WENCKIVM* auctui enarrantem *historiam* *uniuersalem*, *imperii* *R. G.* et *statisticien*, in *encyclopaedia* *iuris* secutus sum *SCHOTTVM*. *Ius* *naturae* vero, *ciuile*, *publicum*, *cambiale*, et *ordinem* *iudicarium* percepi ex *HEBENSTREITIO*, *BIENERO*, *BIEDERMANNO*, *ZITZMANNO* et *KINDIO*. Quo facto anno *MDCCLXXX*. *Göttingam* me contuli, *fascis* tenente *summe* *reuer.* *LESSIO*. *Señatus* sum *ibi* *viros*, quibus *ill.* *GEORGIA-AVGVSTA* *superbit*, *egregios*, *nomine* et *fama* *celeberrimos*. *Iuris* *canonici* et *feudalis* *principia* *mih* *tradidit* *G. L. BOEHMERVS*. *De* *iure* *publico*, *praxi* *iuridica*, *iure* *priuato* *principum*, *cognoscenda* *historia* *imperii* et *ordine* *iudiciario* *summorum* *imperii* *tribunalium* *frequentavi* *scholas* *illuſtr.* *PÜTTERI*. *Ius* *ciuile* ex *GVST. BERN. BECMANNO*, *ius* *criminale* ex *ERXLEBENIO*, *artem* *referendi* ex *añis* *iudicialibus* ex *CLAPROTHO*, et *ius* *germanicum* *priuatum* percepi ex *SELCHOVIO*. *In* *omni* *vero* *historia*, *cuius* *studium* *cum* *reliquis* *semper* *coniunxi*, *usus* *fui* *inſtitutione* *SCHLOEZERI*, *quem* *etiam* *secutus* *sum* *in* *cognoscenda* *notitia* *rerum* *publicarum* *Europae*, et *ſcientia* *rerum* *ad* *bene* *regendam* *rem* *publicam* *neceſſariarum*, *der* *Staatsgelehrſamkeit*. *In* *addiſcenda* *denique* *technologie*, *ſcientia* *politiae* et *rerum* *cameralium* *usus* *sum* *diſciplina* *IO. BECKMANNI*. *Sic* *biennio* *fere* *exacto*, *alnam* *Lipſienſem* *repetii*, *ubi* *per* *ſemestre* *ſpatium* *iuri* *Saxonico* *cum* *publico* *tum* *priuato*

priuato operam dedi. In primis vero adiu illustrem SEGERVM de arte relatoria et cognoscendo ordine iudiciario Saxonico, quem virum eximium et multis aliis modis maximopere mihi profuisse, gratus profiteor. Comes studiorum per duos et quod excurrit annos mihi adfuit vir clariss. SIMON, cuius fidem, curam, et amicitiam pro dignitate satis praedicare nullo modo possum.

Hic igitur Vir Generosissimus, imitatus exempla illustria cognatorum et agnatorum in familia, quos, nisi eorum modestia cohiberet, nominaremus, quos tamen innominatos ob eruditionis splendorem, doctrinae copiam et meritorum in rempublicam magnitudinem summopere veneramur; hic ergo DE LOEBEN annos, quos in academiis peregit, ita consumpsit, uti omnes, qui in iis degunt, consumere debent, hoc est, praeceptores adeo celebres doctosque non frustra audiuit, potius in primis omnes iurisscientiae partes cum summo fructu ab iis hausit. Id vero nos certo atque experientia scimus. Cum enim non absque gloria fore putaret, uti nec est, si eruditionem suam censurae nostrae submitteret, rogati ab eo ante aliquot dies examen cum ipso institutum, in quo propositis quaestionibus ita docte ac promte respondit, ut omnino et prae caeteris dignus videretur, qui in publicum prodire et munera capessere possit.

Haec

1684.

XVI

Haec itaque laus ne taciturnitate obliteretur, atque ad aliorum etiam imitationem vim habeat, eam hac tabula, appposito Facultatis figillo, palam facere, decreuimus. Dab. Dominica III. post Trinit. anno MDCCCLXXXII.



L I P S I A E

EX OFFICINA SAALBACHIA.




W 78

ULB Halle
005 361 494

3







1782, 5

de Winkler

ORDINARIVS
SENIOR CETERIQUE ASSESSORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN
VIRI GENEROSISSIMI
GVELPHI CHRISTIANI ALBERTI
DE LOEBEN
PVBLICE TESTANTVR.



IN EST
Corollarium iuris criminalis decimum.

